

π_n
315



Q. N. 967.7.

426



De
ALEXANDRO MAGNO

Disputatio Prior,
In Illustri Augusteo proposita
Præside

M. CHRISTOPHORO CELLARIO,

Ebr. Lingv. & Eth. P. P.

Respondente vero

ANDREA Wasserreich ?

Freiburgensi Misnico.

Ad diem III, Mart, M DC LXXI.

LEUCOPETRÆ,
Literis **HILDEBRANDIANIS.**



10.



De
ALEXANDRO MAGNO

Dignitate
In Illustri Augustaeopolitana

M. CHRISTOPHO RO CELLARIO

Episcopi & F. R. P.

ANDREA

Ad d. II. Mar. M. DC. LXXI.

LACONTE

LACONTE



ALEXANDER, quem à gestarum rerum magnitudine **MAGNUM** appellant, non suæ solùm, sed omnium ætatis & memoriæ clarissimus Rex, orbis domitor, gentium victor, qui cum Hercule & Libero Patre de terminis & gloria contendit, id solus consecutus apparere potest, ut supra censuram hominumq̃ve iudicio exemptus staret, & factorum gloriã quietè & placidè perfrueretur. Verùm nec olim, nec posteriori tempestate pari affectu de illo iudicatum est. Qui è Græcia ipsum in Asiam secuti erant, *cælum aperiebant, Herculemq; & Patrem Liberum & cum Polluce Castorem novo Numini cessuros esse iactabant*, Curt. 8. 5. 8. Macedones contra malè habebat insolentia Principis patrios mores humanosq̃ve natales fastidientis. Sed neutris horum, quod σύγ-
ζηνοι & præsentis fuerunt, fides debetur certissima. Nam *privorum difficilem censuram esse* rectius dixit Vellejus 2. 36 quam usu observavit in Tiberio laudando. Nec inperscrutabilis rei ratio est, cum utrinq̃ve affectus & laudi & reprehensionis obstant, bonisq̃ve factis invidia detrahat, malis fucum & colorem adulatio inducat. Incorruptius posterorum iudicium, & suam cuiq̃ve pro merito famam posteritas rependit.

II. Sed nec in subsequitis temporibus, quam sperabamus, iudicii æqualitatem offendimus. Diodorus Siculus lib. 17. Biblioth. f. 562. non solùm omnes reges, qui unquam rebus gerendis studuerunt, superasse scribit, sed & ipsi *περίβοντον δόξαν καὶ τοῖς παλαιοῖς ἠρωσὶ καὶ ἡμιθέοις ἰσάζεσθαι*, gloriã præscis Heroibus & Semideis dignam attribuit. Contra Seneca nihil virtutis in illo admittit, sed tanquam ambitionis effusissimæ adolescentem, affectibus indulgentissimum, latronem & amico-

rum perniciosam passim traducit. Quo ipso sane parum Heroica indoles, quam Diodorus laudaverat, stabilitur, ut potius in censum vesanorum & furiosorum adscribatur. Sic posteriores quoque in diversum abeunt, nec, cui accedamus sententiae, liquidissimum est. Si quid verò historia Morali doctrinae conjuncta potest, id in praesentia investigabimus, *vitiisne an virtutibus major Alexander fuerit.*

III. Natus Alexander patre Philippo Amyntae filio, Macedonum Rege inclyto: matre Olympiade Neoptolemi, Molossorum regis, filia. Utrinque clarus origine, siquidem paternum genus ad Herculem; maternum ad Aecidas per Neoptolemem Plutarcho & Diodoro testantibus referebat. Unde non vulgare pro generosa Alexandri indole argumentum petit Diod. Siculus init. l. 17. *quòd οἰκείαι ἔχε τὴν φύσιν καὶ τὴν δρετὴν τῆς τῶν πατρῶν ἀρετῶν ἑδοξίας.* Si id de semine virtutum & inclinatione intellectum vult Siculus, largimur saepe ita esse, ut fortes à fortibus progenerentur; sin de ipsa virtute, Senecae potius assentimur Epist. 90. ad Lucilium scribenti: *non dat natura virtutem: ars est bonum fieri.* Sane quidem, ut idem Epist. 73. disserit, *semina in corporibus humanis divina dispersa sunt, qua si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt, & paria his, ex quibus sunt orta, surgunt: si malus, non aliter, quam humus sterilis ac palustris necat, ac deinde creat purgamenta pro frugibus.* Non tamen nobiles haec solis dat Seneca, sed nullos exclusos vult, & postquam Epist. 44. quaesitum erat: *quis est generosus?* respondet ipse: *ad virtutem bene à natura compositus: Bona mens omnibus patet, omnes ad hoc sumus nobiles.* Non igitur semina, sed seminum decens cultura felicem facit, & inde tot procerum filios noxae esse; contra tot novos homines inclarescere quotidie videmus.

IV. Ut fieri solet in Heroum origine notanda, fabulosa superstitio hic quoque suum adjecit, nostrumque ex Deo in draconis formam cum Olympiade concumbentis progenitum vulgavit. Quod hoc impensius postmodum Alexander credi voluit, quò insolentior erat & divinitatis avidior. Riserunt

runt fragmenta hæc gentiles ipsimet, & tanquam rationi sanæ & Philosophiæ contraria rejecerunt. Bene Dionysius Halicarn. l. 1. Antiquit. Rom. f. 63. similem Iliæ Romuli matris compressum in dubium vocat, ratione additâ, μηδὲν τὸ θεῶν λιτὲρ γημάτης ἀφθάρτα καὶ μακαρίας φύσεως ἀνάξιον ὑπομείνοντος.

V. Ut multâ verò in Heroibus miranda occurrunt, ita præprimis pueritia prælagire solet, si quis ad altiora, quam vulgus capit, propendet nititurque. Et Alexander noster non puerilia ex legatis Persarum aliorumque quærebat, sed regionum situm, distantiam, vires, regis indolem aliaque, quæ pueri captum excedebant. Cum ætatè esset nondum equestri arti maturâ, domitâ Bucephali ferocia spem tantam sui omnibus injecit, ut non fallacem patri vocem expresserit: *aliud regnum tibi, fili, quæsieris, Macedonia te non capiet.* Quippe Heroica indoles quibusdam virtutum ominibus ac præludiis futuram magnitudinem præmaturè ostentabat.

VI. Ex his de indole & ingenio Alexandri conjicere licet. Triplicis fortis ingenia facit Epicurus apud Senecam Epist. 52. Quidam enim suâ sponte ad virtutem nituntur sine ullius ductu aut adjutorio, sed rari hi & difficilis horum conditio est & periculi plena: quidam indigent opè alienâ, non ituri, si nemo præcesserit: quidam tandem cogi ad rectum impelli que debent, quibus non tantum duce & adjutore, sed & coactore opus est. A vero non abluere videbitur, quicumque Alexandrum mediæ clasfis numero adscripserit. Non enim ad summa sine duce ascendit, sed ductu tum aliorum, tum præprimis Aristotelis usus est. Nam parens, malè cætera feriat, in hoc tamen prudentissimus & suo exemplo edoctus, quid sibi Epaminondæ contubernium disciplinaque profuerit (Justin. 7. 5. 3.) elegantissimis literis, quas Gellius l. 9. c. 3. recitat, filio Aristotelem accersivit, à quo non superficialitè, sed per integrum octennium (ἑξόνον ὀκταετη, Dionys. Hal. Tom. 2. f. 121.) in Philosophia & eloquentia, ultra ferme quam concessum

principi, ut cum Tacito loquar Agricola. 4. 5. eruditus, pectus non rude ad fasces & imperium appulit.

VII. Non quidem ubivis consultum est, ut omnes Philosophiae subtilitates perreperant, qui in luce olim Reip. sunt versaturi, sed Moralis hic Philosophia praeferrī meretur, hoc acrius nobilium juventuti imbibenda, quod propius ad firmandum virtutibus animum, Remque publicam ordinandam accedit. Quod si otium & ingenii acumen ac fervor suppetit, subtiliora quoque theoremata Alexandri exemplo adjungi possunt, quae adeo non dedecent illustri loco ortos, ut non solum ornamento sint iis, sed & ad gerendas res adjumento egregio. Quod si nullus usus alius foret, hic tamen sufficeret abunde, quod sub docto principe πολὺ πλῆθος ἀνδρῶν σοφῶν ἠνεγκεν ἢ τῶν ἐκείνης καίρων Φορέ. Φιλῆ γὰρ πῶς αἰεὶ τὸ ὑπήκουον ζήλω τῆς τῆ ἀρχοντος γνώμης βίβν, uti de M. Antonini Philosophiae pro non male judicavit Herodianus l. 1. c. 2.

VIII. Sic institutus Alexander patre interfecto regni hereditatem adiit consentientibus illis, quorum intererat suffragari. Non etenim absolutam fuisse regum Macedonum potestatem vel exinde apparet, quod Thebas deleturus Alexander συνέδρους τῶν Ἑλλήνων consuluit, Diod. Sic. f. 569. quod non parum Curtius 6. 8. 25. confirmat, de capitalibus rebus, inquiring, *vetusto more exercitus inquirebat; quod in pace vulgi erat, cum nihil potestas regum valeret, nisi prius valuisset auctoritas.* Antequam verò de virtutibus & vitiis differamus, de belli Persici occasione non nihil praefari liceat. Nostram enim multum interest examinasse, num justa fuerit Asiatica expeditio, an injusta, cum causam belli titubante si non omnes, plures tamen Alexandri virtutes collabascant.

IX. Hic certi quid determinare non facillimum est. Darius equidem apud Curt. 4. 10. 29. *odisti me, inquit, non quidem provocatus.* Macedones verò seu universi potius Graeci bellum à Persis tentatum praeveniendo profligare & sic justissime Persas invadere palam profitebantur. Eum in finem in Corinthiacis comitiis Alexander στρατηγὸς ἀντιπρόσωπος τῆς Ἑλλάδος

λαδὸς proclamabatur, ut Persas oppugnaret, ὡς ἂν εἰς τὰς
Ἕλληνας ἐξήμαρτον, Diod. Sic. f. 564 Etenim Philippo adhuc
superstite Darius ἐφιλομείθε τὸν μέλλοντα πόλεμον εἰς τὴν Μα-
κεδονίαν ἀποτρέψαι, id. f. 565. quod jure antevertere & præoc-
cupare poterant Macedones. Neque his contentus Alexan-
der in epistola ad Darium apud Curt. 4. 1. alius repetit sui
belli causas, inde nempe à Darii, Hystaspis filii, & Xerxis
contra Græcos expeditione, id quod Persis etiam posteriori-
bus incitamento poterat esse, ut maculas à Miltiade & Themis-
tocle suæ genti impressas gloriosâ pugná vel tandem abo-
lerent.

X. Nimis longum foret ad priora illa Hystaspidæ & Xer-
xis tempora recurrere, paucis verbis saltem rem tetigisse suffi-
ciat. Superior ille Darius belli in Græciam moti hanc cau-
sam prætulit, quod Græci Jonas Persarum hostes seu rebelles
potius adjuverint. Certè Aristagoræ Milesii instinctu Athe-
nienses XX. naves pro liberanda Joniâ miserunt, patriæ, mo-
rum, lingvæ communitate ad ferendam contra Barbaros o-
pem inducti, vid. Herodotus l. 5. p. m. 318. seqq. Persæ
Græcorum factum vindicaturi justitiæ limites egressi videntur
subigendo quoscunque Græcos, etiam qui manum adversus
Persas non levaverant, id. l. 6. p. 339. & sic eventu prode-
bant, dominandi potius libidine, quàm justitiæ amore in
Græciam movisse, juvante invidiæ affectu, quòd Græciæ bel-
licosæ gloriam gens superbissima æquo animo perferre haud
poterat.

XI. Xerxes verò (Ctesia fragmenta id p. 567. signifi-
cant) bellum adversus Græcos suscepit, quòd Datis interfe-
cti corpus petentibus denegassent, quò ipso inhumanè ege-
runt & contra gentium morem, aliàs Græcis & Persicis exem-
plis confirmatum. Vide de Alexandro Curt. 3. 12. 13. de
Memnone, Darii clarissimo duce, Diod. f. 575. qui in Hali-
carnassi oppugnatione Alexandro petenti idem officii præsti-
tit, contra quàm præsentis Athenienses svadebant.

XII. His stantibus difficile erit de justitia belli hujus sen-
ten-

tentiam ferre, cum utrinque rationes sint non prorsus deriden-
dæ. Id tamen se nobis tanquam verum probat, non satis cau-
sæ fuisse Alexandro, si tantum Xerxis & Hytaspidae ulciscen-
di causâ in Asiam trajecerit, cum bella seculorum interventu
sepulta iniquum sit reparare. Vide Grot. de P. & B. l. 2. c.
21 §. 8. Quòd verò Darius Codomannus contra Macedonas
bellum paraverat, satis erat Alexandro, quî justo titulo Per-
sarum regem præveniret. Hoc dum dicimus, non quævis
Alexandri bella probamus, quæ ille cum Indis aliisque genti-
bus extremi Orientis gessit, imò in ignoto mari quæsit, quæ
utique non virtuti & justitiæ, sed insatiabili honoris cupiditatî
transcribimus.

XIII. A belli causa ad virtutes accedimus. FORTI-
TUDINEM ubique ostendit intrepidus bellator, ceu Curtio a-
liisque passim probatum est. Ex multis unicum exemplum
sufficiat, dum in prælio ad Granicum non solum περὶ τὸ ἰ-
στίον ὄρεσι περὶ τὸν ποταμὸν, hostibusque implicitus magnam stra-
gem edidit, sed etiam cum Spithrobate fortissimo Persarum &
Regis genero μονομαχῆν non trepidavit, quem & eqvo de-
jectum strenuè interfecit, Diod. Sic. l. 572. Multorum consensu
non desunt, qui se opponant. Cum enim Fortitudinis obje-
ctum sint τὰ φοβερά, pericula, neque fortem putant Alexan-
dram fuisse, quod nulli vero periculo fuerit objectus. Livius
l. 9. c. 17. quæstioni vacans, an Alexandro M. Romana virius re-
sistere potuisset, ait, non jam cum Dariorem esse, quem mulierum
ac spadonum agmen trahentem inter purpuram atq; aurum enervat-
um fortuna sua apparatus, prædam veriùs, quàm hostem, nihil
aliud quàm bene ausus vana contemnere, incruentus vicit. Longè alius
Italia, quàm India, per quam temulento agmine comeffabundè incesse,
visus illi habitus esset, &c: Quod Alexander Molossus quoque,
Magni avunculus, cum exercitum in Italiam duxisset, apud
Gellium l. 17. c. 21. dixisse fertur, se quidem ad Romanos ire qua-
si in αἰδεσώτιν; Macedonem esse ad Persas quasi in γυναικώτιν: seu
ut Clitus Curtianus 3. l. 37. interpretatur; avunculum in viros
incidisse, Macedonem in feminas. Nequaquam verò Fortitudo
est,

est, ubi ἀνόπλοις ὀπλισμένοι μάχονται, καὶ ἀθληταὶ ἰδιώταις
consente Aristotele 3. Nicom. 8.

XIV. Esto verò Persas cum Romanis collatos inferioris
gradus esse, esto ipsum Magnum *imbelles feminas* vocasse, Curt.
3. 10. 10. non tamen is erat Persarum exercitus, qui Macedo-
nibus nulli terrori esse potuisset, aut omni virtute careret. Si
nihil aliud, saltem numerus timorem incutere poterat, ne cir-
cumirentur, aut lassitudine, quam prudenter Parmenio Curt.
3. 7. 9. timebat, vincerentur. Non autem solus Memnon e-
rat, in quem omnes curas intendere par erat, id. 3. 1. 21. (satis For-
titudinis character: *omnium vulnera in pectore*, (Flor. 1. 18.
17.) illos Darii milites condecorat, de quibus Curtius 3. 11.
9. *jacebant*, inquit, *circa currum Darii nobilissimi duces ante ocu-
los Regis egregiâ morte defuncti, omnes in ora proni, sicut dimican-
tes procubuerant, adverso corpore vulneribus acceptis.* Plura ad-
mirabundus videbit, qui praelia ad Isson & Arbela ex Diodorâ
& Curtii monumentis ad animum advocabit.

XV. *Laboriosus* quoque erat, non ducis magis, quam mi-
litis munera exequens. Nec semel, si difficilius iter erat,
pedes agmen circumibat, jacentes erigens, aliis, cum a grè se-
querentur, adminiculo corporis sui exceptis. Nec veritus est
nivofo itinere primus dolabrâ glaciem perfringere, ut sibi suis-
que viam sterneret, Curt. 3. 11. 7. & 5. 6. 14. & 7. 3. 17. Hac
arte militum favorem acqvisivit, utpote qui impensè diligunt
ducem *συμπονήντα καὶ ἀρχόντα τῶν καμάτων*, ad quævis peri-
cula & labores ferendos parati solâ *μιμήσει καὶ ζήλω τῶ βασι-
λέως*, quod in Alexandro Severo Rom. Imperatore Herodia-
nus laudavit l. 2. c. 11. & l. 3. c. 6. extremo. Adde Tacitum
Ann. 14. 24. 1.

XVI. Non ignorans Magnus otio effœminari militem,
labore generosos animos nutrire; certamina instituit, cum mi-
litiæ vacaret, aut venatione, exercitio principibus digno, se
exercuit, Curt. 5. 2. 2. & 8. 1. 14. Non enim solius voluptatis
causâ venationi olim operam dabant, qui nobilitate conspi-
cuerant, sed ut ad belli labores ferendos generosi animi præ-

B

para-

pararentur. Egregiè ad Trajanum hoc Plinius Paneg. c. 81.
ita enarrat: *olim hæc experientia juventutis, hæc voluptas erat, his
artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu,
cum audacibus robore, cum callidis astu, &c.* Confer hac de re
prolixè differentem B. Avum nostrum Joachimum Zehnerum in
Adag. Sacr. Centur. 1. Adag. 1.

XVII. CASTUM fuisse non semel Curtius asseverat. *Ve-
neris intra naturale desiderium usus, nec ulla nisi ex permissio volu-
ptas, 10. §. 32.* Quàm sanctè Darii tum conjugem tum filias
habuerit & dominus & juvenis, 3. 12. 21. 22. proditum est, i-
ta nimirum, ut elapsus spado verè Dariò affirmaverit, Plutar-
cho referente in Visâ, *Alexandrum plus temperantia captivis mu-
lieribus, quàm Persis fortitudinis ostendisse.* Dignum exem-
plum, quod Gellius l. 6. c. 8. cum Africani decantata abstinencia
virginem eximiæ formæ parentibus restituentis comparet.
Ipse quidem peradolescens non affinis erat rerum, quas ferre
solet adolescentia, & cum nuptias prius Purpurati svaderent,
quàm in Asiam exiret, successionis periculo ad consilium in-
ducti; restitit ipse gloriæ avidior, quàm voluptatis, Diodor.
f. 570. Egregia sanè indoles & ad quasvis res magnas, præpri-
mis bellicas, aptissima. Habeant adolescentes tam nobiles,
quàm seqvioris ordinis, quem imitentur, si virtus ipsis curæ
est, & gerendis rebus se præparant. Nam virtus, labor, offi-
cium exulant, quandoquæq; adolescentes Veneri sunt addicti.

XIIX. FRUGALIS & SOBRIUS cupedias aspernabatur. Cùm
Carix regina exquisitas dapes & opiparas offerret, respondit
Alexander, se meliores habere obsoniorum architectos, ad
prandium quidem *νῦκτοπρωγείαν, antelucanam expeditionem: ad
cœnam ὀλιγαεργείαν, frugale prandium,* Plutarch. Apophthegm.
f. 108. sic decet inclytos duces, sic Agefilaus vitulina retinuit,
lautiora Ægyptiorum dona servis distribuens, C. Nep. 17. 8. 4.
*Mu. Curius Rom. Cos. Samnitium legatis agresti se in scanno seden-
tem & ligneo catillo cœnantem (quales epulas, apparatus indicio
est,) spectandum præbuit,* Val. Max. 4. 3. 5. Adde Marium,
qui non plurius pretii coquum, quàm villicum habebat, Sallust.
Jug.

Jug. c. 85. Frugales ducis mores, uti ceteros, & miles imitatur, ut *cibus, quem occupat, satiet*, Curt. 3. 2. 15. & æquo animo penuriam ac sitim perferat. Is enim invictissimus exercitus, qui voluptatibus resistere valet, quæ Hannibalem Alpi- bus indomitum ita Capuæ enervarunt, ut gloriam armis par- tam deliciis amiserit.

XIX. Pecuniæ & opum haud avidus erat. LIBERALIS & Regia vox est, quæ Parmenioni, ut captivas redimendas red- deret svadenti respondit: *Et ego pecuniam, quam gloriam mal- lem, si Parmenio essem: nunc Alexander de paupertate securus sum*, Curt. 4. 11. 14. Eidem Parmenioni de defendendis impedi- mentis sciscitanti animosè nunciari jussit: *me & Philippo patre dignum est, contempto sarcinarum damno fortiter dimicare*, Curt. 4. 15. 8. Quid multa? sæpe majora tribuisse, quàm à Diis petun- tur, idem deprædicat immodicus laudator (saltem hac in par- te) 10. 5. 28. Non prætereunda in defunctos milites benigni- tas, quos *μεγαλοπρεπῶς ἔθαψε*, cum quòd pium sic erat, tum quòd incitamento vergeret majoris virtutis, ut ita *ταύτης τῆς λιμῆς τὰς στρατιῶτας περιθυμοτέρως κατασκόλαση πρὸς τὰς ἐν ταῖς μάχαις κινδύνας*, judicante Diodoro f. 573.

XX. Etiam CLEMENTIA in devictos tanta erat, ut non ma- lè Diodorus f. 582. existimaverit, inter multa præclarè ab A- lexandro gesta nullum majus neque *μᾶλλον ἄξιον ἀναγχαφῆς καὶ μνήμης ἰσορροπῆς* fuisse, quàm *πειθότητον ὑπερβολὴν τῆς ὀππαικείας*. Hauserat generosus filius ex parente rerum harum peritissimo, quantum favoris afferret victoria clementer exer- cita. Severitate nunquam Græcos compressisset, clementiâ in officio retinuit, licet hæc simulata fuerit, (Justin. 9. 4. 1.) non vera, in quâ multò efficacius utiqve momentum inest.

XXI. COMIS & HUMANUS erga omnes Alexander, in eo re- giæ virtutis non minimum situm esse existimatis. Triste subdi- tis imperium est, ubi Ninya aliquis nec visu facilis nec dictu affabilis ulli per internuncios responsa dat, Just. 1. 2. 12. Cla- rior Alexander, qui milites quosvis manu amplecti, commi- litones vocare non indecorum, sed regium putabat propter
τῆς

της δευτης κοινωνιας, quam excitat talis amica compellatio, ut de Antonino patre Commodus apud Herodianum l. i. c. 5. recensuit.

XXII. JUSTITIAE quoque non exiguam speciem refert, quod ne stratagemate quidem voluerit fallere, reprobato Parmenionis consilio de hostibus noctu opprimendis, quasi fidei & virtuti regis non conveniret, nisi *palam & luce aggredi*, latrunculis solertiâ fallendi relictâ, Curt. 4. 13. 8. 9. Mira res, quod à patre Philippo tantum mutatus filius fuerit, cui nihil eam dolosum & fraudulentum erat, quod non magnopere exoptaverit. Non quasvis insidias struere, quamvis hosti, æquum putamus, artibusque parum Romanis accensenus, quod Hannibalem *clam per amulos interficere* studuerunt, Justin. 31. 2. 1. nec regia virtus erat, quod *hostis caput licitatus* Darius *milite talentis percussorem emere* tentaverat, Curt. 4. 1. 12. Interim *aliâ minari, aliâ irrepere*, (Flor. 2. 12. 7.) aut pari simulatione hostem circumire prudentiæ militaris est, quam & hîc temperandam Alexander putat affectu magis & nimiâ fiduciâ, quam ratione ductus. *Distributivam Justitiam* accuratè in præmiis distribuendis observasse ex Curt. 9. 1. 6. clarissimum est. De *visis* sequenti disputatione agemus.

Seneca lib. 1. de Clem. c. 3.

Illius demum MAGNITUDO stabilis fundataque est, quam omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt: cuius curam excubare pro salute subditorum atque universorum quotidie experiuntur: quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili profiliret, diffugiunt, sed tanquam ad clarum & beneficum sidus certatim advolant, &c:

••••• (0) •••••

Pou
Th 315
Qu

ULB Halle 3
004 516 109



Sb. f

1017





